

solvit : quod si noluit repetere, id jubet in opera publica ejus civitatis erogari.

*Aliud argumentum latine.*

Non licere ludere his, qui vocantur equi lignei, neque ulla quavis aleæ specie, exceptis ludis, quos in anteriore constitutione permisimus. Loca vero, in quibus hujusmodi equis ligneis lusum fuerit, publicentur: et soluta hujusmodi occasione repetantur: vel si repetere nolent, qui perdidissent, repetitio fiet per præfectum et præsidem provinciarum: et applicabitur hujusmodi pecunia publicis operibus. Prohibeant etiam cætera, quæ in hujusmodi ludis fiunt illicita, ut blasphemias, et si quæ talia. Balsamon notat de equi lignei significatione incidisse apud imperatorem gravem quondam disputationem, quibusdam asserentibus illum ludum significari, quo pueri extra circum aurigando pro equis utuntur hominibus, aliis vero contra contentibus ligneam esse fabricam per scalas ligneas exaltatam, habentem in medio diversa foramina: nam qui hoc genere ludebant, quatuor globulos diversorum colorum supericiebant ex superiori pariete, et qui primus globulorum per foramina ex ultimo foramine egrediebatur, hic victoriam dabat et, qui proiecerat. Nunc veterem harum legum translationem a nobis quoad fieri potuit, ex libris manuscriptis emendatam subjiciemus. Cont.

3. Imp. JUSTINIANUS A. Joanni P. P.

Alearum usus antiqua res est, et extra operas pugnatorias [concessa,] verum pro tempore abiit in lachrymas, multa millia extranearum nationum suscipiens. Quidam enim [nec] ludentes, nec ludum scientes, sed numeratione tantum proprias substantias perdidissent, die nocteque ludendo, argento, apparatu lapidum, et auro. Consequenter autem ex hac inordinatione blasphemare [Deum] conantur, et instrumenta conficiunt. Commodis igitur subjectorum prospicientes, hac generali lege decernimus, ut nulli liceat in publicis, vel privatis domibus vel locis ludere, neque in genere, neque in specie, et si contra factum fuerit, nulla sequatur condemnatio, sed solum reddatur, et competentibus actionibus repetatur ab his qui dederint, vel eorum heredibus, aut his negligentibus, a patre aut defensoribus illius civitatis: vel recipiat fiscus, non obstante nisi quinquaginta annorum præscriptione: episcopis vero locorum hoc providentibus, et præsidum auxilio utentibus. Deinceps vero ordinet quinque ludos, Monobolon, Contomonobolon, Quintanum contactem sine fibula, et perichyten, et hippicem, quibus sine dolo atque callidis machinationibus ludere permittimus. Sed nec permittimus etiam in his ludere ultra unum solidum, si multum dives sit: ut si quem vincit contigerit, casum gravem non sustineat. Non enim solum bella bene ordinamus, sed et res [sacras] ludicras. Sed istam interminantes penam transgressoribus, potestatem dando episcopis hoc inquirendi, et præsidum auxilio sedandi. Prohibemus etiam, ne sint equi [seu equestres] lignei, et ut si quis ex hac occasione vincatur, hoc ipse recuperet domibus eorum publicatis, ubi hæc reperiuntur. Si autem noluerit recipere is, qui dedit, procurator noster hoc inquiret, et in opus publicum convertat. Similiter et iudices prohibeant, ut a blasphemias, et perjuriis, quæ ipsorum inhibitionibus debent comprimi, omnes homines penitus conquiescant.

#### TIT. XLIV.

##### DE RELIGIOSIS ET SUMPTIBUS FUNERUM.

1. Imp. ANTONINUS A. Doritæ.

Si vi fluminis reliquæ filii tui continguntur, vel alia justa et necessaria causa intervenit: exstimatione rectoris provincie transferre eas in alium locum poteris. — P. P. 8 kal. novemb. ANTONINO A. 4 et BALBINO CONSS. 214.

2. Idem, A. Hilariano.

Invito, vel ignorante te ab alio illatum corpus in puram possessionem tuam, vel lapidem, locum religiosum facere non potest. Sin autem voluntate tua mortuum aliquis in locum tuum intulerit, religiosus iste efficitur: quo facto, monumentum neque venire, neque obligari a quoquam prohibente juris religione posse, in dubium non venit. — P. P. kalend. Maji, AQUILINO 2 et ANULINO CONSS. 217.

3. L. ult. § 1, supr. de episcop. aud. — 4. Fac. L. 16, § 2, D. de pen. — 5. L. ult. § 1, supr. de episcop. aud. — 6. N. Leon. 87; L. ult. § 1, supr. de episcop. aud. — 7. L. 1, supr. h. t. — 8. Fac. L. ult. supr. de episcop. aud. — 9. L. 2, supr. h. t. — 10. Adde L. 1, D. eod. — 11. L. 1, L. 2, supr. eod. — 12. N. 77, c. 1, 2, 1.

TIT. XLIV. — 1. Lib. 11, D. 7. — 2. L. 14, infr. h. t. — 3. L. 2, D. eod. § 9, Inst. de rer. divis.; L. 6, § 4, D. de rer. div. — 4. § ult. Inst. de empt. vendit.; arg. L. 6, § 2, D. de rer. div. rerum. edat. L. 14, infr. de legat.; L. 9, infr. h. t. — 5. L. 12, § 2, D. eod. — 6. L. 2, §

3. Imp. ALEXAND. A. Rimo.

Legatum a defuncto tibi relictum, et quod in funus vel morbum ejus erogasse te boni viri arbitrato probaveris, præses provincie solvi tibi jubebit. — P. P. 8 non. Jul. MAXIMO 2 et ALIANO CONSS. 224.

4. Idem, A. Luciano.

Si sepulchrum monumenti appellatio significas, scire debes, jure domini id nullum vindicare posse: sed si familiare fuit, jus ejus ad omnes heredes pertinere, nec divisione ad unum heredem redigi potuisse. Profana tamen loca, quæ circa id sunt, si semper vicinis ædificiis usui hominum destinatis cesserint, ejus sunt cui illa, quorum partes esse visæ sunt, ex divisione obtigerunt. — P. P. 6 non. nov. MAXIMO 2 et ALIANO CONSS. 224.

5. Idem, A. Cassio militi.

Militis voluntatem quam circa monumentum sibi faciendum testamento expressit, et pater et mater ejus heredes negligere non debent. Nam etsi delatio hoc nomine præteritis constitutionibus amota est: invidiam tamen et conscientiam circa omissum supremum ejusmodi officium, et contemptum judicium defuncti, evitare non possunt. — P. P. 8 kal. Maji, JULIANO et CRISPINO CONSS. 225.

6. Idem, A. Primitivo et aliis.

Monumentorum inscriptiones neque sepulchrorum jura, neque dominium loci puri ad libertos transferent. Præscriptio autem longi temporis, si justam causam initio habuit, vobis proficiet. — P. P. 8 kal. Jul. JULIANO et CRISPINO CONSS. 225.

7. Imp. GORDIANUS A. Claudio.

Statuas sepulchro superimponere, vel monumento quod [a te] extructum proferis, ornamenta quæ putas, superaddere non prohiberis: cum jure suo eorum, quæ minus prohibita sunt, unicuique facultas libera non denegetur. — P. P. 3 kal. Aug. GORDIANO A. 2 et POMPEIANO CONSS. 242.

8. Imp. PHILIPPUS A. Julia.

Jus familiarium sepulchrorum ad affines, seu proximos cognatos non heredes institutos minime pertinet. — P. P. kal. Jul. PEREGRINO et EMILIANO CONSS. 245.

9. Idem, A. et Philippus C. Faustinae.

Locum quidem religiosum distrabi non posse manifestum est: verum agrum purum monumento coherentem profani juris esse: ideoque efficaciter venundari, non est opinionis incertæ. — P. P. 6 kal. dec. PHILIPPO A. et TITIANO CONSS. 246.

10. Imp. DIOCLET. et MAXIM. AA. et CC. Aquiliane.

Si necdum perpetuæ sepulture corpus traditum est: translationem ejus facere non prohiberis. — P. P. 8 id. feb. DIOCLETIANO 4 et MAXIMIANO 3 AA. CONSS. 290.

11. Idem, AA. et CC. Gaudentio.

Obnoxios criminum digno supplicio subjectos sepulture tradi non vetamus. — P. P. 8 id. april. ipsis 4 et 3 AA. CONSS. 290.

12. Idem, AA. et CC. Victorino.

Mortuorum reliquias, ne sanctum municipiorum jus polluat, intra civitatem conditi, jampridem vetitum est. — P. P. 3 kal. oct. ipsis 4 et 3 AA. CONSS. 290.

13. Idem, AA. et CC. Dionysio.

Jus sepulchri tam familiaris, quam hereditariæ, ad extraneos etiam heredes: familiaris autem ad familiam, etiam si nullus ex ea heres sit, non etiam ad alium quemquam, qui non est heres, pertinere potest. — S. 3 id. nov. SIRMII, CC. CONSS. 294.

14. Imp. VALENT., THEOD. et ARCAD. AAA. Cynegio P. P.

Nemo humanum corpus ad alium locum [sine Augusti affatibus] transferat. — Dat. 3 kal. Mart. CONSTANTINOP. HONORIO NOBILI PUEBO et EVODIO CONSS. 386.

In solo Auredani libro manusc. notatur hic deesse græcam constitutionem, quam ex basilicis edidit Cujac., lib. 11, observ., cap. 21.

15.

In nullo quopiam loco vectigal ab aliqua persona pro corporibus ex uno in alium locum translatis præstetur.

6, D. eod. — 7. L. 5, D. eod. — 8. L. 9, infr.; L. 2, § 5, D. eod. — 9. L. 5, infr. quib. ut indign. — 10. L. 6, vers. liberi, D. h. t. vide tamen L. 27, D. de condit. et demonstr.; L. 10, D. de probat. — 11. L. 4, D. de mortuo. — 12. L. 5, L. 6, vers. liberi, D. h. t. — 13. L. 2, in fin. supr. eod. — 14. L. 2, § 4, D. eod. — 15. L. 4, vers. profana, supr. eod. — 16. L. 40, D. eod. — 17. Tit. D. de cadaver. pun. — 18. L. 3, § 5, D. de sepul. viol. — 19. L. 5, D. eod. — 20. d. L. 5; L. 6, D. eod. — 21. L. 8, pr. D. eod. exrip. cas. L. 40, D. 10, supr. eod. — 22. Vide tamen L. 57, D. eod.

#### H

de Hereticis et Manichæis. pag. 55. lib. 1. tit. 5.  
de Hereditibus instituendis. 392. \* 6. 21.

—— Tutor. vel Curat. 348. \* 5. 50.

de Hereditariis actionibus. 222. \* 4. 16.

de Hereditate vel act. vend. 259. \* 4. 59.

de Hereditatibus Decurionum. 452. \* 6. 62.

de His, quæ ex publica collat. 675. \* 10. 73.

—— pænæ nomine. 419. \* 6. 41.

—— sub modo legata. 425. \* 6. 45.

—— vi metusve causa. 159. \* 2. 20.

de His, qui accusare non possunt. 582. \* 9. 1.

—— ad Eccles. confug. 68. \* 1. 12.

—— ad statuas confug. 90. \* 1. 25.

—— a non domino man. 462. \* 7. 10.

—— ante apertas tab. 435. \* 6. 82.

—— a Principe vacat. 661. \* 10. 44.

de His, quibus ut indign. hered. 410. \* 6. 35.

de His qui ex officio. 690. \* 11. 38.

—— ex publicis rationibus. 651. \* 10. 6.

—— in Ecclesiis man. 70. \* 1. 13.

—— in exilium dati. 668. \* 10. 59.

—— in priorum credit. 559. \* 8. 19.

—— latrones vel alii crim. 618. \* 9. 30.

—— non impletis stipendiis. 666. \* 10. 84.

—— numero liberorum. 664. \* 10. 51.

—— parentes vel liber. 601. \* 9. 17.

—— per metum judic. 314. \* 7. 67.

—— potentiorum. 155. \* 2. 15.

—— se deferunt. 655. \* 10. 15.

—— sibi adscribunt. 607. \* 9. 25.

—— sponte publ. mun. 660. \* 10. 45.

—— veniam ætatis imp. 130. \* 2. 45.

de Honoratorum vehiculis. 684. \* 11. 19.

